FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIQVA HIERANA
DECANUS ET SENIOR,
D. JOH. ANDREAS
Fischer/
CONSILIARIUS ET ARCHIATER ELECT. MOGUNT. PATHOL. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMARIUS, NEC NON MEDICUS PROVINCIAL. DUCAL. ISENACENSIS.

Lectori Benevolo

S. P. D.

Ipsique diros calculorum cruciatus expavescenti

Programmate hoc Inaugurali ostendit

LAPICIDINAM MICROCOSMI DEMOLITAM.

ERFORDIÆ,
STANNO GROSCHIANO, ACAD. TYPOGR.





On ſolum admirandorum genitrix Natura, velut ad quandam ſuæ majeſtatis oſtentationem, durisſimas in Macrocosmo extruxit cautes, petras inſuperabiles, ſaxaque prærupta, terræ planitiem pasſim exaſperantia, inſuperque in antris ſubterraneis poſuit lapideas moles, nunc nobiliorum, nunc ignobiliorum lapidum matrices: Sed & aliquando enormi errore abrepta, per horrendam quaſi ἐις ἄλλο γένος μετάβασιν, lapicidinam in Microcosmo molitur, quin imo, proh! in viſceribus ejus haud raro perficit. Hinc pleni ſunt Medicorum libri calculoſorum exemplis, plenæ obſervationes clinicæ, plena venerandæ antiquitatis monumenta, quid, quod & pagi, & urbes, & oppida ejusmodi ſtimulis improbe divexatorum ejulatibus perſonant. Sic calculi in ſcroto reperti mentionem faciunt Decker. *Exercit. Pract. p. 153.* Ephem. Germ. *Dec. III. A. V. & VI. Obſ. CCLIII.* ſubter

ter lingvam *Append. p. 91.* ſub oſſe frontis *Obſ. XLVI.* in pericardio duas unicas æquantis *A. VII. Obſ. LXXV.* in inteſtinis per alvum â muliere quinquagenaria menſtruatim excreti *Append. p. 71.* ſub glande urethræ per octennium latentis *A. IX. & X. Obſ. XLV.* in naribus *Obſ. CXLV.* in veſicula fellea *Obſ. CCXLVI.* in arteria Iliaca *Obſ. CLXXI.* in utroque ventriculo cordis *Obſ. LXXXIX.* in meatu urinario pyri formis *Dec. IV. A. IV. Obſ. CX.* in pulmonibus ad inſtar piſorum formati *Obſ. CIX.* in glandula pineali Stalpart. Vander Wiel *Obſ. Rar. Cent. I. p. 53.* in dextro ventriculo cerebri Kerkring. *Obſ. XXXV. p. 77.* in ciliis & nervis opticis Scalig. de Subt. *Exercit. 108.* & Zod. Med. Gall. *A. I. fol. 81.* in cantho oculi majore *fol. 138.* in arteriæ magnæ ramo renali, carotide & vena portæ Tulp. *Obſ. L. 2. p. 141.* R. de Græf. *in Epiſt. ad Elſner.* & Columb. *Obſ. Anat.* in ventriculo, hepate, meſenterio, pancreate, liene & utero Marcell. Donat. *Hiſt. Med. Mirab. l. 4. p. 520.* Stalpart. Vander Wiel *l. c. p. 198.* Holler. *c. 48.* Fernel. *Pathol. L. VI. c. 4.* Diemerbroëck *Anat. corp. hum. fol. 146.* Bartholin. *Cent. IV. Hiſtor. 64.* in teſticulis adamantinam pelluciditatem referentis Wilhelm. ten Rhyne *Schediaſm. de promont. bonæ ſpei, fol. 34.* in crure ulcerato, muſculo Deltoideo ipſisque articulorum juncturis Borell. *Cent. I. Obſ. 4.* Schenk. *Lithogeneſ. c. 19.* in tonſillis denique & maxillis Lang. *Epiſt. Medic. Tom. II. p. 233.* calculos repertos commemorat. Equidem antiquis temporibus frequenter ludebatur calculis, idque jam honoris, jam lucri capiendi, jam temporis fallendi gratia, dum ſuffragia ferentes calculos cum inſcriptis candidatorum no-

minibus in urnam injiciebant, & in 12. ſcruporum ludo calculis ab una linea ad alteram ſubinde promovendis ludentes utebantur, ubi ſane glorioſum reputabatur & delectabile quam plurimis candidatum onerari calculis, quin & perſæpe lucroſum, ludentem ultro citroque poſſe vagari per aleam, altero interea ad incitas lineas redacto, ita ut calculum omnino movere nequeat, ringente: Verum ludus iſte, ſic Paracelſo vocatus, viſceribus corporis humani altùm infixus, cum afflictis non ludit, quin imo ipſis ſæpenumero illudit Medicis, nec remediorum quantumvis exquiſitorum apparatu movetur, ubi quidem ignorantia genuinæ cauſæ morbificæ in cauſa eſt. Etenim alios confugere novimus ad ſeminium calculoſum cum ſemine parentum ejusmodi malo correptorum in ſubjectum patiens translatum, alios ad fermentum petrificum, ſpiritumve, neſcio quem, gorgoneum, ſolo etiam aſpectu cuncta in lapides mutantem, quosdam ad viſcerum, renum cumprimis & veſicæ, intemperiem ſive calidam ſive frigidam, quosdam ad acidum coagulans aut ſalinum exſiccans, nonnullos ad infractum partium afflictarum robur, ſive fibrarum relaxatam vim tonicam, nonnullos ad ſtricturam potius earundem & cavitatum anguſtias, imo reperti ſunt, qui mali originem à putredine quadam imo ex cœlo ipſo derivare voluerunt: Cum tamen propitia magis ratione aſſerendum videatur, calculi ſeminia revera omnibus connaſci, parentibus utcunque ſanisſimis, atque in ſingulis deprehendi, ſolummodo convenientes cauſas occaſionales, quibus in hoc vel illo viſcere, vel naturâ vel caſu, propriave

ſub-

ſubjecti culpa, debiliore, evolvantur & in actum deducantur, expectantia: Sic enim fortè commodius explicabitur, quî fiat, calculo laborare homines, à parentibus non calculoſis proſeminatos, & contra nullos ab illos ſentire ſtimulos, qui parentes quam maxime calculoſos nacti ſunt. Ex quo liquet, æthiopem lavare illos qui calculum curaturi nunc abſorbentibus, nunc præcipitantibus, nunc diureticis, nunc reſolventibus, nunc anodynis ſolummodo inhærent, quibus partim digeſtio prima depravatur, partim cauſa mali ad ipſos præcipitatur renes, partim vaſa & viſcera exſiccantur, partim tonus fibrarum perit, partim principium movens elaſticum ita obſtupeſcit, ut particulis lapideſcentibus mature ex corpore ejiciendis impar omnino exiſtat; quin præſtat roborantibus ſimul abſtergentibus, blandeque adſtringentibus balſamicis, diluentibus nervinis temperatis prudenter interpoſitis, calculi curationem aggredi: In præſervatione vero auream Baglivii obſervare regulam, quod à veſica & renibus ad inteſtinum rectum optima fiat revulſio, atque ſic materia coagulo ♀reo ſubtrahatur, maxime ſi juxta moderamen diætæ laudabile, res, laxantibus fluidis mannatis, ſennatis rhabarbarinis & ♀eis hebdomatim, & circumſpecta hæmorrhoidum ſub æquinoctia annua reſeratione, peragatur. Atque in hunc ſcopum collimant, quæ à ſuperiore & noſtro ævo magnifiunt lithontriptica, ſcilicet ſpirit. Calc. viv. vinoſus Baſilii Valentini, cujus cum infuſo Thee aut Hederæ terreſtris etiam externe per injectiones, aut regioni pubis & perinæo mediantibus linteis duplicatis applicationem, in calculo veſicæ obdu-

rato efficaciam ſingularem loquuntur Medicorum monumenta, item ſuccus betulæ primo vere collectus cum ſemine Dauci ab Helmontio & Boylæo tantopere commendato, ut & arcanum Timæi von Gülden-klee ænigmatice deſcriptum, ex ſecali viridi, germ. aus der erſten Korn-Schrapffe/ & tota anſerina verno tempore paratum aſſumptumque, porro Tinct. ex radicibus acaciæ noſtræ novellis cum ſpiritu vini phlegmatico aniſato, vel, qui præſtat, ſpiritu roris majalis in quo ſemen aniſi maceratum fuerit, parata, illam, quæ hactenus innotuit in Saxonia, ſi non ſuperans, viribus certe adæquans, nec non laudanum urinarium Lipſienſium, hirci leporisque menſe Martio capti cruor, cum ſale lixivioſo ex cineribus hujus integri combuſti parato, polychreſtæ baccæ Alkekengi, nuclei ceraſorum, perſicorum, hepatica fontana, equiſetum, radices reſtæ bovis cum farina liquiritiæ, nitrata cum vitriolatis ſ. a. combinata, omniaque ex ſuccino, Therebinthina & Mumia Alexandrina confecta: cumprimis celebrantur radices gummoſæ trifolii fibrini in cereviſia medicata, ipſi etiam radici Pairera prava dubiam palmam reddentes, ut & pulvis lithontripticus ſequens:

℞. *Muſc. ex muris antiquis ſub cœlo libero creſcentis P. ij.*
Succin. alb. Therebinth. Venet. coct. ana drachm. ſem.
Ocul. cancr. ppt. lapid. Percar. ppt. ana ſcrup. j.
Rad. Alth. liquirit. ana ſcrup. ij.
Sacchar. albiſſ. unc. j. M. F. Pulv. ſubtiliſſ.

Sed hæc in præſentia de lapicidina microcoſmi deſtructa diſſeruiſſe ſufficiant, cumprimis quoniam hanc ſibi materiam ad amusſim ſumſit tractandam

Nobi-

Nobilisſimus atque Clariſsimus Dominus

JOACHIMUS GOTTLIEB KLEPPERBEIN,

Birnbaumenſis Polonus,

Medicinæ Candidatus dignisſimus,

qui die 14. Octobris Anno 1698. Birnbaumii Poloniæ oppido natus, Parentes veneratur dulcisſimos, Virum piurimum Reverendum & Clarisſimum DN. M. JOACHIMUM KLEPPERBEIN, Verbi divini ibidem tum temporis Miniſtrum primarium, poſt paſtorem Frauſtadienſem demumque Freyſtadienſem meritisſimum, Patrem, & fœminam ornatisſimam DOROTHEAM DEUTSCHMANNIAM, Matrem, quos vero fato præmaturo ſibi ante aliquot annos ereptos luget. Ab his Parentibus laudatisſimis, prævia Præceptorum domeſticorum informatione, Frauſtadienſis Scholæ Collegio, inprimis Clarisſ. Dn. SCHMIDELII Rectoris, nunc Gymnaſii Brigenſis Profeſſoris curæ fuit commiſſus, ab hinc Lyceo Freyſtadienſi inſertus tandemque Gymnaſii Regii Berolinenſis alumnis adſcriptus. Anno 1717. Muſis ſcholaſticis valedixit altiores Academias ſalutaturus, quo fine Vitembergam petiit Magnifico maximeque Reverendo Dn. D. SCHRöERO, SS. Theol. Prof. Publico Ord. ſceptra academica tenente, & ſtudioſorum ordini adſcriptus frequentare cepit primum Collegia Philoſophica ab Excellentisſimo Dn. D. KLAUSING. Matheſ. Prof. Publ. & Clariſs. Dn. M. WOLFFIO habita, poſt Medica, Magnifico Dn. D. VATERO, Seniore, Conſiliario & Archiatr. Duc. Anhalt. Pathol. Prof. Publ. Celeberrimo, Med. Provinc. Saxon. & Nat. Curioſ.

Colle-

ga facem in curſu Medico præferente. Nec minorem ſedulitatem in frequentandis lectionibus privatis anatomicis, botanicis, chimicis Excellentisſimi D. VATERI juniore Prof. Med. Ord. nec non publicis, de febribus & Oſteologia Magnifici Dn. D. BERGERI Conſil. Reg. Polon. Dnque D. BRENDELII, Prof. Publ. Ord. adhibuit, ſimulque duabus ſectionibus publicis adſtitit, & reſpondentis munere, ſub prælaudato Dn. D. VATERO juniore de Oeconomia ſenſuum juxta Mechanicorum placita diſputante, perfunctus eſt. Exacto Vtembergæ triennio iter in Bataviam anno 1720. ſuſcepit, ad ſtudium Anatomicum & Chirurgicum omni ex parte excolendum, ibique conſvetudine virorum per orbem literatum famigeratisſimorum, RUYSCHII & ALBINI tantum non quotidiana uſus eſt, a quibus egregie expolitus in arte medica, nitidior in patriam rediit. Tandem ſtudiorum coronidem anhelans noſtram nuperrime accesſit Hieranam, & Facultate Medica decenter compellata in Candidatorum numerum receptus & ad Examina conſueta admiſſus eſt, in quibus avitæ patriæque virtutis tenax omnium Collegii Medici Aſſeſſorum expectationem usque adeò exſatiavit, ut ipſi ſupremos in Medicina honores decreverint, publico prius eruditionis ſpecimine in Diſputatione Inaugurali de CALCULO RENUM ET VESICÆ die VIII. Martii D. V. habenda, edito. Ad quem Actum Inauguralem honoratisſima præſentia ſua condecorandum & Magnif. Dn. Rector cum Academiæ Proceribus, & omnes ſtudio medico faventes, hiſce perquam officioſe & humaniter invitantur. Publ. Erfordiæ ſub Sigill. Facult. Medic. Domin. Invocavit, d. 2. Mart. Anno 1721.

(L.S.)